

Quamvis non sit, quod quis neget, suam

mereri laudem, qui in cognoscendis rerum causis, aliisque; Philosophiæ principiis operam collocant & industriam; eos tamen, qui cæteris, & iis ad nudam contemplationem spectatibus, posthabitis, ipsis hominum actionibus examinandis ætatis florem dedicandum statuerunt, doctorum reprehensionem incursum, existimabit nemo. Ego, cum à cæteris rebus satis tenuiter instructus, tum vel ipsâ materiæ gravitate edoctus, licet non eò progressus sim insolentiæ, ut, ingenioli viribus ad thema aliquod pertractandum collatis, laudabile quid emersurum arbitrer; in damno tamen mihi deputatum iri non credo, si mecum habitaturus, imbellesque; quid valeant humeri, quid ferre recusent, periclitaturus, non nihil de actione, moralem quam vocamus, verborum faciam, eque; copiosâ copiosarum rerum messe, pauca, & ea mihi usui futura seligam. Faxit liberum illud agens, DEUS ter opt. max. ut de actione acturus morali, feliciter agam, ac bene!

II. Vocabulorum ambiguitatem, fecundissimam errorum genitricem, in morâ esse sæpius, quò minus, quem sibi præfixit, scopum attingere quis possit, est, quod confiteamur omnes. Ne verò animum jamjam ad ipsam rei tractationem appulsurus, meò cum periculò errorum immergar λαβυρίνθω, operæ pretium me facturum puto, si in ipsò, ut ajunt, limine removenda removeam, statimque; missis verborum ambagibus, quâ de re sim disserturus, indicem. Nolo proinde accipi actionis vocem (1) *in sensu generalissimo*, quatenus quodvis potentiæ activæ exercitium denotat, & à quovis animante, seu rationali seu irrationali, imò ab ipsò Entium Ente proficiscitur; nec (2) *eò in sensu, quò Metaphysici uti consueverunt*, ad denotandum summum genus passioni contradistinctum, formam n.p. fluentem ab agente in subjectam materiam; nec (3) *in sensu Juridicò*, quatenus à Jure peritis usurpatur de actionibus legibus experiendis vel processu forensi; nec (4) *in sensu Physicò*, quò C.N. in se invicem agere dicuntur, & v. g. mediante generatione, aliud sibi simile producere; sed (5) *in sensu Ethicò*, ut designet operationem, non quamvis illam quidem; sed